



Biblioteka Jagiellońska
stdr0012418

1,
2, Discursus contemporaneus.
3, Considerationes monetales.
4, Kurtze und eigentliche Deduction
5, id. latine
6, Deductio rei monetalis
7, Discursus de re monetaria.
8, Epistola mercatoris.
9, Dowod iawny etc.
10, Unvorgreifliche Gedancken.

5.)

Brevis & exacta

DEDUCTIO

damnorum, qvæ ex diversis Sortibus Monetalibus, qvales hoc tempore in Regno Poloniæ cuduntur, inprimis vero ex cupreis Solidis, exoriuntur.

Una cum fundamentali Refutatione Scripti Cujusdam Polonici, cujus titulus est:

Informacia Względem Szelagow.

Excerpta, & latine Conversa ex Epistola Polonica fidelis cujusdam Patriotæ Prutenici, ad qvendam Nobilem Polonum.

ANNO M DC LXI.

Admonitio ad Lectorem.

HÆc Deductio antehac Polonice ac Germanice fuit edita. In quibus editionibus error est supputationis damni ex Trigrosſis provenientis, inde ortus, quod Probatores duas tantum ab initio Trigrosſorum particulas nacti fuerant, ex quarum instituta Proba persuasi sunt, ex una Marca confici particulas 145. unde facta est computatio enormis illius damni 57. flor. in 100. Postea nacti sunt Marcam integram & deprehenderunt Marcam constitui ex particulis seu petiis 120. atq; inde confici damnum 30. flor. 25. gr. in 100. quod & sic satis grande est. Duæ ergo petiæ illæ, ex quibus prior Proba facta est, fuerant, ut apparet, ex levioribus. Quod sciri ab initio non potuit. In hac latina versione ista aberratio correcta, & res ad justum Computum reducta est. Tu Lector benevole favebis sinceræ ingenuitati adversus malignitatem eorum, qui errorem non destinato sed ex accidenti commissum cavillari non erubescent.



CIrca postremã Commissionem Monetariam, qvæ Warsaviæ Anno 1659. celebrata est, conclusum fuit ut duæ Milliones solidorum cupreorum, altera pro Regno, altera pro Magno Ducatu Lithuaniæ cuderentur. Pariterq; a Proceribus illic præsentibus tam Domino Legato Brandeburgico, quam Civitatis Gedanensis Ablegatis expresse atq; iteratis vicibus fuis declaratum, quod illi cuprei Solidi intra complexum Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ coërceri, neq; terris Prussiæ obtrudi, aut in eas importari deberent.

Præterea conclusum fuit, ut Orthonum in posterum cudendorum 30. petiæ in unam marcam fierent, continentes argenti puri decem lothonos & duodecim denarios.

Quod vero ad cæteras minutiores Sortes attinet, quibus argentum cupro permixtùm inest, quales sunt. Sex-grossi, Trigrossi, Pultoraki seu sesquigrossi, & Grossi, ab ijs cudendis esse omnino supersedendum.

Quemadmodum istorum omnium, inprimis declarationum supradictarum probe meminisse poterunt Illustrissimi Proceres, qui illi Commissioni interfuerunt aut potius præfuerunt.

Quod autem talia Concluſa ex illo tempore non fuerunt, uti oportebat, obſervata, id imputandum eſt privatis quibusdam ſuum commodum quærentibus, qui rem monetariam in Regno Poloniæ in ſtatum tam perditum deduxerunt, ut damnum quod inde ad univerſos Regnicolas, computando a ſupremis ad infimos, necesſariò devolvitur, eos in extremam perniciem conjecturum, & vel decem bellis futurum ſit exitioſius.

Ad id liquidius demonſtrandum, neceſſe eſt excutere ſingulas ſortes monetales in ſpecie, quantumq; in unaquaq; ſit damni, juxta Probas de ſuper fide integra inſtitutas, oſtendere. Initium vero fiet ab illis ſortibus, in quibus cuprum cum argento, ut loquuntur, ligatum eſt.

Orthones ante Commiſſionem Monetariam poſtremam, juxta ordinationem quandam, quam illius temporis Theſaurarius Supremus Arrendatori Monetæ privatim conceſſerat, ita fuerunt cuſi, ut petiæ 32. unam Marcam facerent, neq; Marca plus argenti puri quam decem lothonos & quatuor denarios contineret. Quanquam autem affirmari non poſſit, quod iſtiusmodi Orthones poſt præmemoratam Commiſſionem in Regno fabricati ſint; certum tamen eſt, Orthones tales, quales Commiſſio ordinaverat, nempe petiarum 30. in Marcam, continentem 10. Lothonos

&

& 12. denarios, hactenus in conſpectum publicum non prodijſſe, quin potius animadvertere licuit, quod illi tam pondere quam ligâ deteriores Orthones, procedente tempore, abundantius in promiſcuo uſu eſſe cœperint: unde magna exoritur præſũptio, id genꝰ Orthonum clanculum, per quosdam privatos, anteriori ſeu primo typo monetali percuti, & ſenſim obtrudendo divulgari.

Orthones, qui durante bello ad hoc usq; tempus in Ducatu Pruſſiæ & Gedani cuſi ſunt, continent argenti puri in Marca integros undecim lothonos, juxta Monetariam comiſſionem, de Anno 1623. & fiunt ex Marca petiæ 30. Marca pura expenditur pro 26. flor. $5\frac{1}{2}$. gr.

Contra novi Orthones Polonici continent in Marca argenti puri lothonos 10. cum 4. denarijs, & fiunt ex Marca petiæ 32. Atq; ita Marca argenti puri expenditur pro - 30. flor. Differunt ergo hi novi Orthones ab Orthonibus Regiomontanis & Dantiſcanis -- 3. flor. $24\frac{1}{2}$ gr. Facit in florenos Centum. 15. flor. 27. gr.

Qui itaq; 100. florenos habet in novis Orthonibus Polonicis, quoad verum pecuniæ valorem florenos 15. groſſos 27. minus habet, quam qui 100. florenos in Dantiſcanis & Regiomontanis Orthonibus poſſidet.

Id lucrum 15. florenor. & 27. groſſor. de Centum

pellice

pellicere potest Monetarios, ut non tantum Thaleros, sed etiam Dantiscanos, Regiomontanos, & Orthones veteres Polonicos conflent, & in hoc novum genus Orthonum transmutent.

Sexgrossi, Trigrossi, Sesquigrossi, vigore factarum circa nuperam Monetariam Commissionem declarationum, plane non debuerunt cudi. Effective autem compertum habetur, quod Bydgostiæ, & alibi in Regno, novorum Sexgrossorum maxima cudatur quantitas, quæ passim divulgatur tam in Regno, quam in hac Regali Prussia, longè majori cum lucro Monetariorum & perniciosiori cum damno Regnicolarum, quam uti in Orthonibus paulo ante deductum est.

Veterum Sexgrossorum 54. particulæ faciunt Marcam, quæ continet argenti puri $7\frac{1}{8}$ lothonos, Expenditur Marca pura pro - 24. flor. $7\frac{1}{2}$ gr.

Novorum Sexgrossorum particulæ 58. constituunt Marcam, quæ in se continet argenti puri tantum 6. lothonos. In his Marca argenti puri expenditur pro — — — — 31. flor.

Atq; ita amplius quam in veteribus. 6. fl. $22\frac{1}{2}$ gr.

Facit in florenos 100. — — 28. fl. 3. gr. $13\frac{1}{2}$ ₰

Quos 28. flor. 3. gr. $13\frac{1}{2}$ ₰ Monetarius de centum florenis lucratur, & Regnicolæ eam summam de ijsdem perdunt. Singulæ autem petiæ novorum Sexgrosforum in vero valore 1. gr. 5. ₰ minus habent, quam petiæ veteres.

Veteres Trigrossi, qui hactenus in promiscuo usu fuerunt, continent in una Marca lothonos 7. argenti puri. Ex Marca fiunt particulæ 108. Marca pura expenditur pro 24. flor, 18. gr.

Novorum Polonicorum Trigrossornm ex una Marca fiunt particulæ, 120. in Marca sunt 6. Lothoni argenti puri. Marca pura expenditur. pro — — — — — — — 32. fl. — —

Atq; ita amplius quam in veteribus — 7. fl. 12. gr.

Deteriores sunt veteribus in flor. 100 — 30. fl. 25. gr

Sesquigrossi, dicti Pultoraki, quibus hactenus usi fuimus promiscue, habent argenti puri Lothonos $5\frac{13}{15}$. Marca argenti puri expenditur pro — — 26. fl. 25. gr. 3. ₰.

Hoc tempore in Regno Poloniæ novi Sesquigrossi cuduntur. Quorum petiæ $185\frac{5}{8}$ constituunt Marcam. In Marca sunt argenti puri lothoni $4\frac{1}{2}$. Marca pura expenditur pro — — 33. flor. — —

atq; ita amplius quam in veteribus 6. fl. 4. gr. 15. ₰.

Facit in 100. flor. — — — 25. fl. 20. gr. 2. ₰.

Si ista omnia probe considerentur, facile inde talis fit conclusio, quod brevi tempore non Thaleri duntaxat, sed quoq; veteres Orthones, Sexgrossi, Trigrossi, & Sesquigrossi intercipientur, conflabuntur, & in

in depravatas ſpecies transformabuntur, maxime in novas illas ſexgroſſales & trigroſſales, quandoquidem in illis damnum eſt Regnicolarum & lucrum Monetariorum flor. 28. In iſtis vero flor. 30. gr. 25. in florenos 100. nempe ſi cùm veteribus Sexgroſſis & Trigrosſis reſpectivè conferantur.

Hæc damna tam Publicum quam quilibet privatus ſentiet 1. in Reditibus, & proventibus. 2. in emtione rerum omnium quibus Publicum pro conſervatione Status, & quilibet privatus prò neceſſaria ſui ſuſtentatione indiget.

Qui antehac in reditibus habuit florenos 100. hoc tempore, quando ſolutio ipſi fiet in novis Sexgrosſis, revera non amplius percipiet, quam flor. 72. Si vero ipſi fiat ſolutio in novis trigrosſis, loco 100. florenor. recipiet florenos 69. gr. 5. & ſic proportionaliter in reliquis ſortibus ante ſpecificatis.

Unde & precia rerum neceſſario augebuntur; & ſi qui Thaleri vel aliæ ſortes ponderis & ligæ veteris conflationem effugiant, neceſſe eſt, ut talium, uti quoque Ducatorum Ungaricalium valor excreſcat, eo usq; donec verum valorem Monetæ depravatæ adſequantur. Quod experientia omnium temporum ſatis docuit. Et jam nunc Cracoviæ & in alijs Regni Civitatibus ſex grosſi in Thalerum, duodecim vero in Dūcatum pro ſuperpondio dantur, quando quis tales ſpecies cum illis ſortibus, quæ modo in Regno cuduntur, permutare intendit.

Quod quidam arbitrantur, Precia rerum per leges & Conſtitutiones Regni ad certam normam redigi in eaq; contineri poſſe; ea erronea & abſurda eſt opinio. Etenim imposſibile eſt, iſtiusmodi Leges & Conſtitutiones in Obſervantiam deducere; niſi qvis velit Regnum Poloniæ & Provincias annexas extra omne plane commercium ponere. Non enim invenietur Mercator aliquis adeo delirus, qui pro mercibus probis improbos nummos domum reportare, aut in hujusmodi regione velit negotiari, ubi nihil commodi, plurimum vero damni certi & inevitabilis habeat exſpectandum.

Quæ breviter ita deducta manifeſte demonſtrant, in quanta damna Regnum Poloniæ & eo pertinentes Provinciæ conijciantur per novas cum argento ligatas ſortes Monetales, uti nunc in Regno cuduntur. Posſent & alia damna ac præjudicia inde provenientia demonſtrari, niſi juſtis de cauſis brevitati eſſet ſtudendum.

Longe autem iſta non adæqvant immane illud damnum, quod ex cupreis Solidis proficiſcitur, quorum incredibilis copia intra Regnum cuditur, iisq; omnia fere implentur, ac velut inundantur.

 Con-

Conclusum equidem fuit circa sæpe memoratam Commissionem Monetariam de Anno 1659. ut duæ Milliones istiusmodi solidorum cuderentur, ex qvibus Respublica speciale aliquod commodum, quod tunc quoq; difiniebatur, posset percipere.

Compertum autem est, solidos illos cupreos intra Complexum Regni non retineri, sed in Terras Prussiæ invehi, contra sæpe repetitas declarationes. Tum & alia diversa emerserunt variorum abusuū præjudicia quæ si circa Commissionem, sic satis festinanter expeditam, nec prævideri singula, nec mature accurateq; considerari omnia potuerunt, id vero excusationem facile merebitur.

Quocirca injuste faciet, si quis de quovis Reipublicæ Cive honesto ac cordato, cui incolumitas Reipublicæ & tot Millionum fidelium & bonorum Incolarum Regni & annexarum provinciarum curæ cordiq; est, maligne sentiat, ipsive vitio vertat, qvod id sedulo & industrie det operam, quo & ipse extremum hoc exitium, certamq; ruinam evitet, seq; indemnem præstet, & fideliter alios de tanto malo præmoneat.

Inprimis occasionem huic rei præbuit scriptum quoddam Polonicum, nuper typis passim divulgatum, sub titulo: Informacia *względem Szelągow*, captiose adornatum, ad fucum imperitis faciendum in re aperta.

Ut recto ordine procedatur, conducet, ut 1. breviter deducatur, quale damnum revera ex illis cupreis solidis publice ac privatim enascatur. Et deinde 2. ut Objectiones atq; incrustationes, per quas Informator pravum hoc commercium defendere intendit, refellantur, pariterq; detegantur intercurrentia Absurda.

Damnum summarie in eo consistit, quod is, qui 100. florenos in istis novis cupreis solidis accipit, in vero valore nihil amplius qvam 15. flor. penes se habeat: adeo, ut in 100. florenis perdantur floreni 85. & qvidem juxta ipsissima Informatoris præsupposita, qvi præcipue tria præsupponit.

Primo, quod talium solidorum cupreorum 150. petiæ seu particulæ faciunt Marcā unam. Quod ita esse ipsi concedatur, quandoquidem negari non potest ejus generis aliquos reperiri; quanquam pleriq; longe sint leviores, sic ut petiæ 160. 170. & fere 180. Marcam constituant. Sed transeat hoc, concedaturq; Informatori, ut 150. petiæ computentur in Marcam.

Secundo præsupponit Informator quod 16. Marcarum idem pondus sit cum pondere 8. librarum. Cum tamen sit satis cognitum quod una libra $2\frac{1}{2}$ Lothonis & paullo amplius duabus Marcis præponderet. Unde 16. Marcæ tantum efficiunt $7\frac{1}{2}$ libras, & non plus. Verum & hoc præsuppositum ipsi conceditur, itā tamen ut quod in libra

 una

una amplius existit, quam in Marcis duabus, id ipsi imputetur pro Intertrimento metalli, quod ex conflatione solet provenire.

Tertio præsupponit, quod libra cupri computari debeat pro grossis 15. dum precium cupri in Marcis 16 computat ad flor. 4. Ex qvo seqvitur, quod cuprum, ex qvo 100 flor. solidorum cupreorum conficiuntur, sit librarum 30. libra pro 15. grossis computata fiunt flor. 15. Huic addi debent, quos informator Thesauro Regni pro lucro imputat, floreni 36. de 100. florenis; deinde pro sumptibus Monetariis aliisq; floreni 10. cum grossis $22\frac{1}{2}$ in florenos 100. Qui sumtus accurate & satis largiter computati sunt, prout demonstrari poterit; inprimis postquã de intertrimento jam antea ipsi satisfactũ.

Ex antecedentibus sequens fit computus. Cuprum pro 100. flor. constat — 15 flor. — — —
Thesaurus lucratur — — 36. flor. — — —
Monetales & alii sumptus — — 10. flor. 22. gr. 9. ₰
Summa 61. flor. 22. gr. 9. ₰
Monetarius itaq; supra precium cupri
& sumtus omnes, sibi lucratur — 38. flor. 7. gr. 9 ₰
Summa 100. flor. — —

Ex quo fit manifestum, Monetarij lucrum ex solidis cupreis superare lucrum Thesauri. Quod vero Thesaurus lucratur, minime compensare potest enor-
me

me illud damnum fl. 85. in fl 100. quod ad unumquemq;, qui hujusmodi pecuniam recipit, necessario redundat. Insuper & hoc considerandum, quod præter binas illas circa Commisionem placitas Milliones, etiam aliæ binæ Milliones, vel plures fabricari, & in Poloniam invehi possint; unde nullum ad rationes Thesauri lucrum proficiscetur. Sed de hoc circa Informationis refutationem agetur pluribus.

Quemadmodum jam evictum est, ex 100. florenis solidorum cupreorum in vero valore cupri tantum superesse possessori flor. 15. atq; ita flor. 85. ex flor. 100. amitti: Sic inde sequitur, quod, quando Millio eorundem solidorum juxta cupri valorem venditur, in qua sunt cupri 2500. Centenarij, computando Centenarium ad flor. 60. recipiantur pro tota massa — — — flor. 150000
Amittuntur in una Millione. flor. 850000
Summa flor. 1000000
In duabus Millionibus damnum est. flor. 1700000
Monetario lucratur ex una Millione flor. 382500
ex duabus Millionibus. flor. 765000

Superest, ut ipsa Informatio super solidis, quæ nuper idiomate Polonico per Typum in Lucem data est, examinetur, & absurditates in ea contentæ detegantur.

 Prin-

Principio Informator inſtituit comparationem inter ſolidos Sveticos, qui à multo jam tempore intra Regnum fuere in uſu promiſcuo, & inter novos iſtos cupreos, & ſatagit perſuadere, quod novi iſti ſolidi cuprei non ſolum bonitate ſua Sveticos ſuperent ad $40\frac{3}{7}$ fl. in Centum; verum etiam, qvia Reſp. nihil lucri percipit ex ſolidis Sveticis, ideo Polonicos cupreos Reip. ad flor. $76\frac{5}{3}$ in Centum minus eſſe damnoſos, quam ſunt Svetici. Quod Autor mirifica admodum ratione demonſtrare laborat.

Præſupponit ex Polonicorum ſolidorum 150 petiis unam Marcam conſtitui, quæ efficiat groſſos 50.

Ita ut 16. Marcæ expendantur pro —	fl. 26. —	gr. 20. —
Pro cupro eſſe computandum —	fl. 4. —	—
Amitti itaq; in fl. 26. gr. 20. — —	fl. 22. —	gr. 20. —

Hæc omnia ipſi conceduntur, prout ea ipſe poſuit. Sed ſequitur ex proprio illo ipſius præſuppoſito, quod ſi quis recipiat 26. fl. 20. gr. in ſolidis cupreis, in iis damnum ſentiri 22. fl. 20. gr. Atq; ita de 26. fl. 20. gr. quoad verum metalli valorem, duntaxat 4. flonos ſalvos habere.

Ex adverſo præſupponit Informator, 360. petias Sveticorum ſolidorum conſtituere Marcam unam, quæ in ſe contineat argenti puri, 1. lothonum & 3. denarios. In 16. Marcis iſtiusmodi Sueticorum ſolidorum, quæ expenduntur pro 64. fl. reperiri argenti puri Marcam unam, & tres lothonos. Computando Marcam purum ad 24. fl. fieri

	fl. 28. —	gr. 15.	
Cupri precium in illis eſſe	fl. 3. —	— 20.	
Summam eſſe	fl. 32. —	— 5.	
Amitti itaq; in 64. florenis —	fl. 31 —	— 25.	
	fl. 64	— —	—

Quod ad pondus, ſeu bonitatem extrinſecam attinet, conceditur particulas 360. ſolidorum Sveticorum facere Marcam unam. At vero circa ligam ſeu bonitatem intrinſecam, compertum eſt, quod non 1. loth. 3. 8. ſed 1. loth. $5\frac{1}{2}$ 8. argenti puri in una Marca eorundem ſolidorum contineantur, quod deducetur poſtea. Sed ponatur hoc quoq; tantiſper; nempe non aliter ſe habere bonitatem intrinſecam, quam uti ipſe præſupponit Informator; tamen ex computo, quem ipſe inſtituit, dilucide apparet, quod in 64. florenis Sveticorum Solidorum aliquanto minus quam dimidium nempe 31. fl. 25. gr. amittantur, & quod is, qui florenos 64. in ſolidis Sveticis recipit, in juſto valore metalli ſalvos habeat fl. 32. gr. 5.

Informator ponit conſequenter: quia in 16. Marcis ſolidorum Sveticorum amittuntur 31. fl. 25. gr. in totidem vero Marcis ſolidorum cupreorum tantum fl. 22.

fl. 22. gr. 20. ideo rem esse evidentem, minus esse damnum amittere 22. fl. 20. gr. quam amittere 31. fl. 25. gr.

Mera hæc est Sophistica. Satis quidem manifestum est, damnum 31 fl. 25. gr. majus esse damno flor. 22. 20. gr. Sed contra reputando, quis tam simplex est, qui non animadvertat minus esse habere florenos 4. quam habere fl. 32. 5. gr. De florenis 26. & 20. gr. solidorum Polonicorum perdo fl. 22. gr. 20. & tantum salvos habeo 4. fl. hoc est ne quartam qvidem partem ejus quod antea habui. At vero, ex ipso Informatoris præsupposito, de 64. fl. solidorum Sueticorum perdo 31. fl. 25. gr. salvos itaq; habeo 32. fl. 5. gr. hoc est paullo plus quam dimidium ejus quod recepi.

Cui jam persvadebitur, cupreos Polonicos solidos, in quibus amitto plus quam tres quartas partes totius, superare bonitate sua fl. 40 $\frac{3}{5}$ in 100. solidos Sveticos in quibus non amitto totum totius dimidium? Aut quis credet, minus esse damni, si de 100. fl. 15. flr. salvos habeam, quam quando de 100. fl. ultra 50. fl. penes me retineo?

Verum enimvero per Probas authenticas compertum habetur, uti antea paucis fuit indicatum, qvod Marca solidorum Sveticorum non 1. Loth: 3. ℞. sed 1. Loth: 5 $\frac{1}{2}$ ℞. argenti puri contineat. Quam Pro-

bam in ulteriori deductione, potius quam præsuppositum Informatoris sequi, conveniens esse videtur.

Facilioris tamen computationis causa ponantur 1. Loth. 5. ℞. & fiat inde computus, qui sequitur.

Petiæ 360. solidorum Sveticorum constituunt Marcam unam. Marca expenditur pro 4. florenis. Argenti puri in una Marca sunt 1. Lothonus. 5. ℞. Expenduntur 16 Marcæ pro fl. 64. continentes intra se argenti puri Marcam unam & 5. Lothonos.

Computando M. argenti puri a. 24	fl.	— 31.	— 15.
In cupro $6\frac{13}{16}$ ℔. a 15. gr. — — —	fl.	— 3.	— 12.
Damnum ergo est — — —	fl.	— 29.	— 3.
	fl.	— 64.	—

16. Marcæ Solidorum Polonicorum, juxta Informatoris præsuppositum, quod ipsi concessum ante fuit, expenduntur pro — — — fl. 26. gr. 20.

Cup., quod in illis est, côput. pro fl. 4.	fl. 26. gr. 20.
Damnum, quod inde exoritur fl. 22. 20. gr.	

Si jam invicem ponatur calculus, deprehenditur, quod in fl. 64. Solidorum Sveticorum damnum sit 29 $\frac{1}{10}$ fl. in 64. vero fl. novorum Cupreorum Solidorum ex fl. 64. amittantur fl. 54 $\frac{2}{5}$.

Si quis cognoscere desideret, quantum utriusq; generis solidi inter se in 100. fl. differant, is jam scire poterit ex Informatoris præsupposito, in 100. fl. Solido-

rum

rum Cupreorum esse 30. libras cupri, & computando libram pro 15. gr. inde fieri — — fl. 15.

In 100. fl. Solidorum Sveticorum, juxta Probas probatas sunt argenti puri 2 Marcæ & 13. denarij; computando Marcam pro 24. fl. fiunt fl. 49. 6. $10\frac{1}{8}$

Cupri precium in 100. fl. — — fl. 5. 9. $6\frac{6}{8}$

Summa fl. 54. 15. $16\frac{7}{8}$

Eat nunc Informator & contendat persuadere imperitis; Quod solidi, in quibus de 100. fl. amitto fl 85. meliores sint fl. $40\frac{2}{3}$ in Centum, illis solidis, in quibus de 100. fl. tantum 46. fl. circiter amitto.

Expresse autem præcustoditum & manifestatum esto, ista hoc modo non deduci, ac si solidi Suetici essent probandi aut laudandi; quos potius pro prava admodum moneta reputandos, eorumq; extirpationem, ut & alterius cujuscunq; depravatæ monetæ, exoptandam esse, nemo bonus negabit. Sed superiora eo saltem fine ita demonstrata sunt, ut informatoris incongruæ comparationes, & absurdæ assertiones tanto dilucidius in conspectu ponerentur.

Ut vero illas absurditates incrustet Informator, postulat, ut discrepantiæ ex pondere, non ex valore desumantur. Qvod si obtineret, vicisset. Nemo autem adeo simplex est, qui non intelligat, magnam esse differentiam inter 16. Marcas puri puti cupri, quarum precium est fl. 4. & totidem Marcas, in quibus sunt una Marca, cum 6. Lothonis argenti puri, cujus precium est fl. 31. gr. 15. præter cuprum, quod cum argento illo est ligatum.

Præterea Informator deluctionem suam illo potissimum prætextu justificare cupit, quod Thesaurus de 100. fl. solidorum Polonicorum 36. fl. de Sueticis vero solidis nihil omnino lucratur. Sed jam ante indicatum fuit, id lucrum non esse magnopere considerandum, præ immensis damnis, quæ ex istiusmodi prava moneta publice ac privatim existere necesse est. De quo infra pluribus agetur.

Id vero Informator sedulo cavet, ne vel verbulo attingat illos 38. fl. 7. gr. 9. 8. quos Monetarij de 100. fl. cupreorum solidorum sibi lucrantur, detractis jam impensis omnibus, ut supra demonstratum est.

Porro contendit Informator, argentum, cujus exigua quantitas in minutis nummis cum cupro ligata est, non posse separari nisi per impensas, quæ verum istius argenti valorem exsuperent; Immo id plane evanescere & perire, velut si quis duos congios vini triginta congiis aquæ affundat, & deinde vinum postulet ab aqua secernere.

Contra vero affirmant, qui operas igniarias fre-

 quen-

quentant, & metalla ſecernere probe callent, non magnæ eſſe artis, de 100. fl. Solidorum Sueticorum fl. 49. gr. 6. den. $10\frac{3}{8}$ argenti puri, quod in illis 100. fl exiſtit, per vim ignis ſeparare: & haut-dubie ignorare Informatorem, quod non raro ducentæ immo trecentæ Marcæ metallorum ligatorum uni magno catino, ſeu foco ſecretioni metallorum adaptato ſimul imponi, atq; ita poſſint ſeparari. Sumtus quidem aliquos ad eam rem requiri; qui tamen quintam partem valoris ſeparati argenti non excedant.

Simile de Vino aquæ affuſo nulla ratione quadrat ad ligaturam metallorum. Neq; enim ignis operari quicquam poteſt, ut vinum ab aqua ſecernatur, licet operetur ſeparationem argenti a cupro. Et ſi iſti Simili locus eſſe debet, jam inde ſequetur, quod nulla detur metallorum ſeparatio licet pari quantitate conflatorum. Neq; enim repertus eſt hactenus qui quindecim congios vini a quindecim congiis aquæ idonee atq; effective ſecreverit.

Ait Informator, nullum ex Sveticis ſolidis lucrum vel commodum præſupponi poſſe, licet in officinas Monetales delatis plus apponatur argenti, & inde nummi ad ligam ſeſquigroſſorum, aliarumve ſpecierum cudantur. Cujus opinionis duas profert rationes. 1. Quia non invenietur Monetarius qui facul-

facultates tantas habeat ut ſeptem vel octo Milliones Sveticorum Solidorum (tantundem enim in Poloniam invectum fuiſſe præſupponit) poſſit coëmere. 2. Quia impoſſibile eſt, tantum conquirere argenti, quantum ad ligandam adeo grandem Metalli quantitatem opus futurum eſt.

Sed reſpondetur, I. Non neceſſe eſſe, ut omnes ſolidi Svetici, intra Regni fines reperiundi, ſimul ſemelq; coëmantur; neve, ut Monetarius uno tempore omnes fornaci ſeparatoriæ imponat; cum id ſucceſſive fieri poſſit, prout ſummæ modicæ, per intervalla, acquiri poſſunt. Sic enim argento illo puro, quod ab una ſumma ſecrevit, aliam iterum ſolidorum ſummam, ad probam groſſorum vel ſeſquigroſſorum ligare, idq; toties quoties repetendo, pecuniam pecunia acquirere, argentum ſemper reperire, & tandem ſenſim ſeptem vel octo Milliones, (ſi verum eſt, tantundem inveniri) ad ſe avertere, & transmutare poterit.

Profert Informator exempla Principum externorum, inprimis Regis Galliæ, qui monetam ex puro puto Cupro cudi faciunt. Sed circa hoc duo præcipue notanda ſunt. 1. Vix inveniri regionem aliquam, in qua moneta adeo vilis tanta fabricetur quantitate, ut memorabilium quoq; ſum̃arum ſolutiones inde fiant; ſed fere ideo tantum cuditur, quo uſibus plebis, & pau-

pauperculorum ad necessitates quotidianas subserviat, & in summarum minutiorum persolutione cæteris monetæ sortibus loco supplementi sit. Quomodo autem non pauci hoc tempore in Polonia, circa solutiones, solidis istis cupreis utantur, experientia docet, & magis docebit inposterum, quando omne cuprum, quod adhuc sub malleo est, erit elaboratum. In Svecia sane solutiones sæpe fiunt in moneta cuprea, sed illa, quoad pondus, seu bonitatem extrinsecam, ejus semper valoris est, ut, licet inde ahena conficiantur, nullum tamen sit damnum. 2. Monetæ cupreæ, quam cudi curavit Rex Galliæ, 4. particulæ in usu promiscuo ejus sunt valoris, cujus est sesquigrossus Polonicus. Singulæ autē particulæ habent pondus trium solidor. Polon. cupreorum. Illa itaq; moneta cuprea Gallica in 100. fl. continet libras cupri 87½, computando libram pro 15. gr. efficiuntur 43. fl. 22½ gr. Multum ab illa distat Polonica moderna, qua tantum 15. fl. in cupro continentur in 100. florenis.

Addit Informator, prudenter esse excogitatum, ut moderni solidi Polonici ex mero cupro fierent, ne propter gravitatem ponderis Exteri aliunde similes inveherent, quod propter impensas invectionis nihil lucri sint percepturi.

Quam adsurdum id sit, ex eo apparet, quod ipse Informator asserit, prope ad 8. Milliones Solidorum Sveticorum in Poloniam fuisse invectas, quorum bini aliquanto minoris sunt ponderis, quam unus Polonicus, neq; ex 100. fl. plus lucri est quam 46. fl. Quis exterorum non tentaret saltem dimidiam quantitatem cupreorum solidorum ad formam Polonicæ monetæ effigiatorum importare, ex quibus lucrnm esset 85. fl. in 100. fl? grande enim hoc lucrum invectionis sumptus largissime compensat.

Notandum autem præcipue est, quod Warsaviæ quidem typus seu character monetalis modernis cupreis solidis incutitur. Cuprum vero ad characterem illum recipiendum adaptatur & elaboratur tam in districtu Olivensi prope Gedanum, quam in Silesia, & prope Hamburgum ac Lubecam ubi Cuprū in officinis ferrariis extūditur, secatur in laminas, per cylindros ad levigatiouem devolvitur, postremo ferramentis in orbiculos, seu particulas convenientes rotundatur. Notum enim est, quod istiusmodi orbiculorum in præfato tractu Olivensi plurimi Centenarij præparati, & curribus Warsaviam sint devecti. Sic quoq; compertum habetur, Lubeca atq; Hamburgo anno superiori, usq; ad 14. Febr. anni præsentis, 660. Centenarios ejus generis orbiculorū Gedanum mari advectos, atq; inde terra Warsaviam fuisse transportatos. Ex Silesia ma-

magna quoq; copia eo convehitur, partim in orbiculis, partim in laminis, quibus in orbiculos concisis postea typus monetalis incutitur. Ante aliquot hebdomadas quindecim grandia vasa, qualibus pruna Ungarica devehi solent, repleta istiusmodi Silesiacis laminis, sed, quia orbiculi Warsaviæ jam fuerant excisi, omni ex parte perforatis, Gedanum Warsavia devecta fuerunt, ut in vicinia conflarentur, inq; laminas levigarentur, quo denuo inde orbiculi fieri, illiq; Warsaviam ad recipiendum characterem Monetalem revehi possent.

Hic consideret, qui sensum communem habet, si Monetarii, qui intra Regnum sunt, laminas & orbiculos e longinquo in Regnum curribus invehere, imo vehere, ac revehere, & nihilominus plurimum possunt lucrari: cur non auderent exteri solidos similes, charactere ac typo effigiato insignitos, importare, maxime quia Thesauro illos fl. 36. de fl. 100. non persolvent, sed eos ipsi sibi lucrabuntur?

Hæc vero est illa potissima consideratio, cur lucri, quod Thesaurus Regni ex duabus Millionibus, intra Regnum & M. D. L. cudendis, exspectat, non æque debeat haberi ratio, quam incredibilis damni, quod ex Millionibus (quæ tam intra quam extra Regnum, ultra placitas duas Milliones, cudi possunt) est metuendum, maxima cum pernicie Publici & privatorum; nullo Thesauri emolumento. Sub-

Subjungit Informator, aliás quoq; difficile esse imitari solidos Polonicos cupreos, id vero impossibile esse non affirmat.

Primò enim ipsa dictat ratio, longe facilius esse, ex uno metallo, uti ex puro puto cupro, solidos formare, quam eos ex argento & cupro ita ligari, ut in una Marca justa Proba 1. Lothoni & 5. den. coincidat.

Secundò absurdum est, quod typus monetalis Polonicus non æque artificiose ab aliis possit effigiari. Monetarii Polonici sine dubio non unius sed plurium opera ad suos illos typos monetales coficiendos utuntur, neq; possunt ignorare, quod Aurifabrorum ita dicti Socii ad id æque idonei aptiq; reperiantur, sive illi sint Germani aut Silesiaci, sive Poloni & Itali.

Postremo Informator proponit consilium seu medium, Sveticos nempe solidos ad minus redigendi preciū quo tam eorum invectio impediatur, quam Reipublicæ aliquod exinde conficiatur commodum. Sed hoc consilium absolute ad lucra Monetariorum Regni directum est. Si enim Svetici solidi minoris fiant valoris per aliquam legem, quam qui est novorum Polonicorum, proclive foret Monetariis Polonicis, mediantibus novis solidis Polonicis Sveticos omnes ad se converrere; nec postea ipsis defutura esset ars, atq; ratio, argentum a cupro compendiose separandi, intra

anni

anni spatium nullis amplius solidis Sveticis intra Regnum comparituris.

Præsupponatur Sveticos solidos redigi ad medietatem valoris, qui nunc est, hoc pacto Monetarij pro 100. fl. solidorum Polonicorum acquirerent 200. flor. Sveticorum solidorum, in quibus continenter 4. Marcæ. 1. Loth 10 ₰. argenti puri. Computando Marcam pro 24. fl. fiunt 98. fl. 13. gr. $2\frac{1}{4}$ ₰. Cupri valor, quod in iis est, efficit 10. fl. 18. gr. $13\frac{2}{3}$ ₰. fit inde summa 109. fl. circiter. Qui fl. 109. acquirererentur pro 15. fl. quot, quoad intrinsecâ bonitatem in fl 100. cupreorum solidorum continentur. Posterius hoc lucrum, prius longe superabit.

Si tantum lucri ex Sveticis solidis proveniet, quanto plus emolumenti homines lucripetæ sibi comparabunt, ubi Thaleros, bonæq; notæ Orthones, & alias argento ligatas species, cupreis solidis permutaverint. Licet enim duplum dederint in moneta cuprea, pro simplo monetæ argenteæ, aut argento ligatæ, lucrum tamen incredibiliter magnum erit. Tandemq; (nisi huic malo tempestive obvietur) necessario eveniet, ut omnis moneta aurea, argentea, aut argento ligata, maxime illa, quæ melioris notæ est, ex Polonia exterminetur, fiatq; Orbis Polonicus, Orbis plane cupreus.

Infor-

Informator Discursum suum hoc concludit epiphonemate: Regnum Poloniæ tandem aliquando agniturum, quantum commodi ad Rempublicam ex moderni solidis profluxerit.

Supra indicatum est, præsumtum ex novis solidis Reip. commodum minus esse commodo Monetariorum, nullaq; ratione cum damnis emormibus conferri posse, quæ publice privatimq; omnia pessundabunt.

Damna privatorum ex ante-deductis abunde manifestantur; nihilominus, per subsequens obviæ simplicitatis exemplum, in superfluum demonstrabitur.

Aliquis Regnicola habet aliquot ahena, 100. circiter librarum, quæ vel usu corrupta, vel aliâs ipsi displicent, ea Monetariis vendit 50. fl. computando libram pro grossis 15. solutio ipsi fit in istis novis solidis cupreis, quæ (si exactissime examen instituatur) revera nihil amplius quam 14. libras efficiunt. Si jam idem Regnicola velit ab opifice nova ahena, prout sibi melius videbitur, confici, pro 100. libris veterum ahenorum, 14. libras novorum reportabit, & insuper pro opificis mercede 5. grossos persolvet in singulas libras.

Confido, per supra deducta abunde atq; evidenter esse evictum, pravæ monetæ diversarum sortium

tium necesſario & quantocyus ponendum eſſe obicem. Quomodo autem id fieri debeat, quave ratione, bona, per omnes ſpecies, moneta pasſim introducenda ſit; id vero illud eſt, quod unusquisq; honeſtus cordatusq; Reip. Civis, qui vel ſententiæ dicendæ in Rep. vel conſilii ſuppeditandi jus habet, ſerio ac tempeſtive expendere, & quod maxime ſalutare eſſe exiſtimaverit, in commune debet conferre.



